

supernaturalem; ergo nec ad timorem filialem requiritur specialis habitus præter charitatem. Eadem enim ratio currit in timore servili, qui etiam est bonus, et honestus, et supernaturalis sicut timor filialis. Ac denique confirmatur ex D. Thoma hic quæst. XIX, artic. VI, ubi inquit: « Quod ejusdem rationis est, quod homo cupiat bonum suum, et quod timeat ea privari: » ergo ad idem motivum, et formalem rationem pertinet amor Dei, et timor filialis, sicut amor concupiscentiæ, et timor pœnæ.

XV. Quoad secundam vero partem in qua sententia Suarez non convenit cum prima, præter adductam auctoritatem D. Thomæ probatur, quia sicut aliis virtutibus moralibus correspondent aliqua dona, ita et temperantiæ, nam prudentiæ respondet donum consilii, justitiæ donum pietatis, fortitudini donum fortitudinis; ergo et temperantiæ debet correspondere aliquod donum, et non est autem aliud, quam donum timoris, ergo. Confirmatur, quia nullus habitus dari potest primo, et per se ad fugiendum malum, sed ad prosequendum aliquod bonum; ergo non potest dari donum habitualem cujus primo et per se actus fit timere Deum, sed quod persequatur aliquod bonum. Ac denique confirmatur, quia proprius actus doni timoris est paupertas spiritus, ut ex Augustino D. Thomas, hic quæstione XIX, artic. XII, quæ nihil aliud est quam actus humilitatis, autem est pars potentialis temperantiæ, ut constat ex S. Thoma 1-2, quæstione CXCI, articulo IV. Ergo donum timoris est habitus, qui versatur circa materiam temperantiæ.

XVI. Ad id quod prima sententia proponitur, respondetur quod ad motum amoris sequitur fuga oppositi mali, per modum simplicis re-

cessus, sive odii, et timoris communiter dicti; non tamen sequitur illa fuga secundum specialem rationem timoris, qua pertinet ad rationem doni Spiritus sancti, sicut explicatum est, sicut etiam non sequitur delectatio peccati sub ea ratione, qua pertinet ad pœnitentiam, nisi mediante habitu pœnitentiæ a charitate distincto. Ad primam confirmationem respondetur, quod timor servilis licet sit a Spiritu sancto, utpote bonus, et honestus, non tamen induit illam specialem rationem, quam timor filialis, ut elevatur ad rationem doni, et ideo cum timor servilis sit simplex motus timoris circa malum pœnæ, vel amissionem boni divini, ut bonum proprium est, sufficienter assignatur ejus principium ipsa concupiscentia, vel spes supernaturalis prosequens hoc bonum divinum, quod tamen non currit respectu timoris filialis, quia induit specialem rationem observantiæ, vel reverentiæ erga Deum timendum ut patrem, et reddendi hominem bene mobilem a Spiritu sancto, ut dictum est. Ad secundam confirmationem respondetur, quod S. Thomas loquitur in illo loco de simplici motu timoris, agebat enim de timore servili, non de timore induente specialem rationem reverentiæ ad Deum, et mobilitatis a Spiritu sancto in materia subjectionis ad ipsum.

XVII. Ad argumenta pro sententia patris Suarez. Ad locum S. Thomæ ex secunda secundæ, quæstione CXLI respondetur, quod S. Thomas docet donum timoris correspondere temperantiæ secundario, et inadæquate prout respicit evitacionem eorum, quæ allicere possunt ad offensam Dei; primario autem, et principaliter correspondere spei, secundum quod timet ipsum Deum, et separari ab illo. Unde patet ad rationem patris

Suarez, fatemur enim quod etiam temperantiæ respondet aliquod donum, scilicet donum timoris, non tamen adæquate, sed inadæquate, ex parte actus secundarii, quatenus speciali quadam ratione opponitur delectationi carnali. Ad primam confirmationem dicitur, quod nulla virtus, vel donum habet pro actu primario fugere malum, et sic principalis actus doni timoris non est fugere malum, sed revereri bonum inflicivum mali, ut sequenti articulo ostendetur ex D. Thoma. Ad secundam confirmationem dicitur, quod paupertas spiritus ut est actus doni timoris distinguitur ab actu humilitatis communiter dictæ, quia actu humilitatis est per modum modestiæ refrænantis nimiam passionem spei tendentis erga honores indebitos, et hæc facit secundum regulas rationis ordinarias: at vero paupertas spiritus ex altiori regula, nempe ex consideratione divinæ eminentiæ, ita resiliit in propriam parvitatem, ut nullam excellentiam sive propriam, sive alienam æstimet tamquam aliquid in comparatione divinæ eminentiæ, et ideo totaliter evacuat spiritum propriæ magnificationi subjiciendo se Deo, et sic manet pauper in spiritu, et non solum ordinarie humilis.

ARTICULUS II.

Quis sit proprius actus doni timoris?

I. Ut exacte explicari possit proprius actus hujus doni, unde maxime pendet explicatio quidditatis ejus, oportet considerare omnem latitudinem materiæ, circa quam versatur donum timoris. Potest ergo donum timoris respicere Deum quem timet, ut objectum inflicivum

mali, vel ipsum malum quod fugit, vel passiones quas timore isto cohibet, tam in irascibili, quam in concupiscibili. Donum ergo timoris ut respicit personam, seu Deum quem timet habet actum reverentiæ; ut respicit malum imminens habet actum fugæ; ut respicit passiones irascibilis, id est, magnificationem, et extollentiam sui quam reprimit, habet pro actu paupertatem spiritus; ut respicit passiones concupiscibilis refrænantem delectationem habet pro actu beatitudinem luctus, quam etiam attribuit dono timoris D. Thomas hic quæstione XXIX, articulo XII ad secundum. Habet ergo timor amplissimam materiam inter dona Spiritus sancti, et ita dicit D. Thomas in hac quæstione XIX, articulo primo ad secundum: « Quod timor Dei comparatur ad totam vitam humanam Dei sapientia regulatam, sicut radix ad arborem juxta illud Ecclesiast. I: Radix sapientiæ est timere Deum; » et ideo non solum correspondet timor uni virtuti; verbi gratia temperantiæ, aut humilitati, sed etiam spei, ut ex D. Thoma ostendimus articulo præcedenti. Ut ergo inter tot actus, et tam diffusam materiam quam timor comprehendit assignemus quis sit actus primarius, et principalis, et quis secundarius.

II. Dico primo: Principalis actus timoris in quantum donum non est fuga, et respectus ad malum, sed actus reverentialis erga bonum, id est, eminentiam divinam, quæ est causa instinctiva mali. Hæc conclusio videtur certa secundum mentem S. Thomæ, quamvis non defuerunt plures auctores, etiam in dono timoris ponentes pro actu partiali fugam mali, saltem ut possibilis de potentia Dei, qua ratione in Christo, et beatis illum admittunt. Alii explicant hanc fugam mali in dono timoris respectu mali præteriti, quod beati evaserunt, sed

utrique aberrant a formali objecto timoris, neque enim timor quomodocumque fugit malum, sed malum ut imminens, et futurum; de malo enim quod præterit nemo timet, sed gaudet: de malo vero quod non est futurum nemo timet, quia nulla est causa timendi, nisi ubi est aliqua dispositio ut accidat malum: alioquin timeremus quod cœlum rueret, quia de potentia absoluta accidere potest. Nostra ergo conclusio sumitur ex D. Thoma 1-2, quæstione LXVII, art. IV ad secundum, ubi dicit, quod timor filialis habet duos actus, scilicet revereri Deum, et timere malum; et primo modo, manet in patria, non secundo. Et III p. quæst. VII, art. VI ad primum, inquit: « Quod habitus virtutum, et donorum proprie, et per se respiciunt bonum, malum autem ex consequenti; et ideo de ratione doni timoris non est illud malum, quod respicit timor, sed eminentia illius boni, scilicet divini, cujus potestate aliquod malum infligi potest. » Et fundamentum hujus videtur radicaliter attigisse D. Thomas in tertio ad Annibaldum, dist. XXXIV, quæst. II, art. I, ubi inquit, quod in hoc differt tristitia a timore: « Quod tristitia respicit malum, ut præsens, et consequenter in se ipso; timor autem respicit malum, ut futurum, et consequenter non in se, sed in sua causa. » Unde infert D. Thomas, quod timor non respicit malum nisi mediante causa a qua potest provenire, et in cujus virtute est futurum. Et hinc est, quod timor non solum habet puram fugam mali, sicut tristitia sed etiam habere potest persecutionem reverentialem erga bonum, eo quod respicit causam unde provenit malum, et illa ratione talis potestatis meretur reverentiam, et quasi honorem quemdam. Cum ergo timor elevatur ad rationem doni necessario debet ele-

vari ratione illius actus, qui respicit ipsam causam inflictivam mali, quæ est divina eminentia; tum, quia actus doni, et virtutis debet versari circa aliquod bonum, et non primo, et per se circa fugam mali; tum, quia in tantum elevatur ad rationem doni in quantum reddit hominem bene mobilem a Spiritu sancto, hoc enim est de ratione doni in communi; redditur autem aliquid bene mobile ab aliquo per respectum mobilis ad moventem; ergo ille actus quo timor respicit eminentiam divinam est principalis actus ejus ut elevatur ad rationem doni, quia sic respicit suum movens, ut ab eo sit bene mobilis.

III. Dico secundo: Actus iste principalis doni timoris non respicit solum rationem boni in divina eminentia, sed etiam in obliquo respicit rationem mali, id est, illam eminentiam, ut potentem infligere malum. Hæc conclusio est contra aliquos recentiores, qui volunt salvare istum actum sine ullo intuitu mali et novissime id defendit pater Grenados controversia secunda de spe, tractatu III, disputatione prima, et pro illa citat S. Thomam 2-2, quæstione LXXXI, art. II ad primum, et quæstione CXXX, articulo II ad primum, et 1-2, quæstione LXVII, articulo III ad secundum, ubi ponit pro actu timoris revereri Deum, reverentia autem versatur circa bonum, non circa malum; et in sacra Scriptura significatur timor Dei solum ob excellentiam ejus, non autem ratione mali, quod potest infligere, ut cum dicitur Jeremiæ X: *Quis non timebit te, o Rex gentium, tuum est enim decus*: et cum dicitur Luca I: *Factus est timor magnus super omnes vicinos eorum*, qui timor solum oriebatur ex divinæ majestatis excellentia operantis tot mirabilia in nativitate Baptistæ.

IV. Et ratio urget, quia si timor respicit aliquod malum in obliquo, vel respicit illud ut possibile ipsi timenti; vel ut possibile alteri; vel nulli: si ut possibile ipsi timenti, non salvatur in Christo, nec in beatis, qui sibi nullum malum timent: si ut possibile alteri, non respicitur a timore, quia timor non variatur circa malum alienum, sed circa proprium quod fugit, sicut spes versatur circa bonum proprium: imo si sufficeret ad timorem respicere causam instinctivam mali alieni, non esset ratio cur una persona divino non posset timere aliam, quia respicit eminentiam illius, ut instinctivam mali in creatura: si vero respicit malum, ut nulli possibile, est malum impossibile, et consequenter nec malum, nec timendum.

V. Nihilominus nostra conclusio tenetur a Cajetano III part. quæstione VII, articulo VI, et existimo esse omnino de mente D. Thomæ. Nam ibidem dicit quod de ratione doni timoris non est illud malum, quod respicit timor, sed eminentia illius boni cujus potestate potest infligi malum: et 1-2, quæstione XLII, articulo II, dicit: « Quod Deus timeatur ab homine in quantum potest infligere pœnam, » et in hac quæstione XVI, articulo primo, inquit: « Quod Deus potest esse objectum timoris in quantum ab ipso, vel per ordinem ad ipsum potest nobis aliquod malum imminere. » Semper ergo explicat sanctus doctor istam rationem timoris per ordinem ad divinam eminentiam, connotando aliquid mali, in quantum scilicet illa potestas non solum est ad largiendum bonum, sed etiam ad coercendum, et puniendum malum. Et fundamentum est, quia si solum respiceretur divina eminentia in quantum est quædam excellentia boni, et potestas ad largiendum bonum, non respiceretur a timore dis-

tineto modo, quam a charitate, vel religione, et spe; nam charitas etiam respicit divinam eminentiam sub ratione excellentissimi boni, et spes sub ratione boni supremi, quod est finis ultimus; et religio exhibet cultum Deo, ut principio creationis, et summo benefactori, dicit D. Thomas in hac quæstione XIX, art. X ad tertium: « Quod timor importat quodammodo separationem per hoc quod non præsumit adæquate se Deo, sed illi se subjicit, quæ etiam separatio invenitur in charitate in quantum diligit Deum super se, et super omnia. » Igitur respicere bonitatem divinam præcise excellens est in ipsa ratione boni, etiam pertinet ad charitatem: unde nisi timor respiciat ipsam eminentiam, ut potentem etiam ad malum non distinguitur a charitate, spe et religione. Et ratio est, quia bonum sub conceptu boni est id quod omnia appetunt, et de se est allectivum et tractivum voluntatis, unde eminentia, et magnitudo boni, si crescit intra conceptum boni, crescit in conceptu alliciendi et attrahendi, et communiter ex vi talis eminentiæ solum fundat amorem vel honorem, qui debetur amato et benefactori, et amorem quidem reddit charitas, honorem autem religio: ergo ut respiciatur per modum reverentiæ, et tremoris cujusdam non sufficit, quod illa eminentia boni sistat in conceptu præciso bonitatis, et potestatis benefaciendi, sed etiam induat rationem potestatis terribilis, et communiter ut potens infligere malum, et non solum bonum, sic enim non solum prosequitur, et colit Deum, sed etiam resilit ab illo ad propriam parvitatem, quod est tremere majestatem. Si autem solum consideraret Deum ut potentem benefacere, non ab eo resili-ret, sed illi uniretur cultu, et amore. Denique confirmatur, quia in patria

solum manet actus timoris, qui est revereri Deum ut inquit S. Thomas 1-2, quæst. LXVII, art. IV ad secundum, et tamen beati respiciunt per illum timorem rationem mali, ut possibilis naturæ, impossibilis autem beatitudini, ut dicit in hac quæstione XIX, art. XI. Ergo existimat sanctus doctor non purificari actum timoris ab omni connotatione effectus mali.

VI. Ad ea vero quæ pro sententia opposita adducuntur respondetur. Ad loca D. Thomæ dicitur, quod in illis sanctus doctor solum affirmat, quod revereri est actus timoris; non vero negat, quod in isto actu respiciatur bonum cum aliqua connotatione mali, quod potest infligere saltem in obliquo; quod in aliis locis nuper citatis aperte explicavit. Ad loca sacræ Scripturæ respondetur, quod in loco Jeremiæ X, si illud verbum decus, sumatur pro pulchritudine, non assignatur tamquam causa timoris, sed fortitudo de qua antea locutus fuerat dicens: *Magnum nomen tuum in fortitudine, quis non timebit te?* Quando autem subdit: *Tuum est enim decus, secundum expositionem D. Thomæ, super hunc locum, transit ad ostendendam scientiam singularem, quæ est in Deo, non vero reddit causalem quare timeatur Deus. At vero secundum interpretationem Hieronymi super eundem locum nomine decoris intelligitur veritas: « Quia in mendacio, ait Hieronymus, semper est turpitudine. »* Hæc autem est maxima causa timendi Deum, scilicet propter decorem veritatis, quo induitur ad judicandum, quia non est locus subterfugii ubi ipsa veritate fit iudicium. Quando vero dicitur Lucæ I: *Quod factus est timor magnus: vel accipit timorem pro admiratione, quam omnes conceperunt in nativitate Baptistæ; vel accipiendo timorem proprie pro ipsa*

reverentia erga potestatem divinam, illa respicitur ut potens infligere malum, quia ex novitate miraculi æstimatur ipsum posse imitari totam naturam, et cætera novitate.

VII. Ad rationem respondetur, quod ad motum reverentialem, qui respicit personam ut potentem infligere malum, non requiritur quod respiciat illud malum ut imminens sibi, sicut requiritur ad actum fugæ qui est distinctus habitus ab actu reverentiæ, ut solum respicit ipsum malum, non personam; ad hoc autem ut ego fugiam malum requiritur, quod existimem illud ut malum mihi: ad modum autem reverentialem erga personam solum debent concurrere duæ conditiones. Prima, quod illa persona respiciatur, ut superior mihi, et ut persona eminens, ex cujus defectu una Persona divina non timet alia, quia non respicit illam, ut superiorem sibi, sed ut æqualem. Christus tamen in natura assumpta, etiam respicit Deum, ut superiorem in natura divina. Secunda conditio est, quod potestas illius personæ consideretur non solum ut potens benefacere, sed etiam inferre malum cuicumque inferiori absolute, sine hoc quod determinem quod mihi vel alteri, in hoc vel illo statu inferat malum, ut bene notat Cajetanus III part. quæstione VII, articulo VI, in fine commentarii. Itaque ad actum timoris, qui est fuga ipsius mali non sufficit respicere malum absolute, vel quocumque modo possibile, sed ut imminens; alioquin sine causa fugerem, si non instat a quo fugiam, ad actum autem timoris, qui est reverentia personæ, non requiritur quod respiciatur malum imminens, sed persona eminens et potens cuicumque inferiori absolute inferre malum, per hunc enim actum potentiam reveremur, non instantiam mali fugimus.

VIII. Dico tertio: Actus fugæ respectu mali etiam est actus doni timoris secundarius, licet non semper neque in omni statu illi conveniat. Hæc conclusio passim asseritur a D. Thoma in hac quæstione XIX, attribuendo timori filiali fuga mali, id est, offensæ divinæ; et specialiter videri potest in articulo XII hujus quæstionis, ubi explicat hunc actum fugæ convenire dono timoris, et in prima secundæ, quæstione LXVII, art. IV ad secundum distinguit duos actus in timore filiali, scilicet revereri Deum; et quantum ad hoc manet in patria: et timere separationem ab illo; et quantum ad hoc in patria non manet. Et ratio est, quia timor filialis sic reveretur patrem, quod evitat offensam, et separationem ab illo, quæ sine dubio possibilis est, et imminens in hac vita, sicut timor servilis fugit pœnam: ergo pertinet ad timorem filialem respicere offensam, ut malum fugiendum, et consequenter sub dono timoris continetur iste actus fugæ: in patria autem tale malum non est amplius imminens, et possibile, et consequenter non est ibi actus fugæ efficax, sed ibi implebitur quod dicitur Proverb. I: *Qui me audierit absque terrore quiescet, et abundantia perfruetur, timore malorum sublato.*

IX. Sed est difficultas, quia iste actus fugæ est simplex recessus a termino a quo, id est, a culpa; hic autem elicitur a charitate, ut diximus articulo præcedenti, ut constat ex D. Thoma XVIII de veritate, art. IV ad tertium: « Quod timor filialis qui timet separationem virtute includitur in motu amoris. » Ergo non potest esse elicitus a dono timoris, quia sic procederet a duplici principio specie distincto. Secundo, est difficultas, quia timor filialis, et servilis eliciuntur ab eodem habitu secundum substantiam, ut dicit S.

Thomas in tertio ad Annibaldum, dist. XXXIV, quæst. II, art. I, ergo iste actus fugæ non distinguetur a fuga timoris servilis, et consequenter non potest dici, quod secundum diversas rationes pertinent ad diversas species, cum procedant ab eodem habitu secundum substantiam. Tertio denique objicitur difficiliter, quia D. Thomas in hac quæstione XIX, art. IX ad secundum et tertium ponit hunc actum fugiendi tamquam actum principalem doni timoris, ergo falso dicimus esse secundarium. Antecedens constat ex verbis D. Thomæ dicentis ad secundum: « Quod proprium, et principale objectum timoris est malum quod quis refugit, » et ad solutionem ad tertium: « Quod timor principaliter respicit malum cujus fugam importat. »

X. Nec dici potest, quod D. Thomas loquitur de actu secundario ad quem actum principaliter pertinet respicere malum, quod fugit. Nam si ita est, non solvit D. Thomas difficultatem. Respondet enim argumento probanti quod donum timoris sit virtus theologica, quia immediate respicit Deum: negat autem, quod sit virtus theologica, quia principale objectum, quod respicit est malum, quod fugit; ergo si solum loquitur de actu secundario non solvit difficultatem, quia restat respondere argumento, quomodo ratione actus primarii non sit virtus theologica, quia per illum non respicit malum, sed respicit Deum, non est autem contra rationem virtutis theologicæ habere pro actu secundario fugam mali, sicut charitas secundario elicit actum odii peccati.

XI. Ad primam difficultatem respondetur, quod fuga mali pertinet ad diversa principia, secundum quod pertinet ad diversa motiva; sicut etiam gaudium aliter consequitur ad charitatem, aliter ad spem, ut